

Petrus Canisius, tom. III, de *Justitia Christi*, § 6, f. 81.

Bernardinus Rosignolius, lib. II, de *Disc. Christi*, c. xxii.

Ludovicus Granatensis, in *Duce Pecc.* c. vii, f. 648, et in *Locis Comm.* f. 384.

Philippus d'Ontreman, in *Pædagogio Christiano*, p. 1, c. vii, § 5.

Matthias Faber, conc. vi et vii, in *Dom. Septuag.*

Henricus Engelg. in *Dom. 5 post Epiph.* to. post.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. I, p. I, c. XI et seq.

Thomas Stapletonus, text. II, in *Dom. 3 Quadr.*

Laurentius Beirlinek. text. II, in *Festo Nativ. S. Joan. Bapt.*

Joannes Dadræus, in *Locis Communibus similitum*, v. eodem, f. 293.

Josephus Mansi, in *Bibl. moral. tract. XVIII.*

IRACUNDIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est inordinatus vindictæ appetitus, juxta S. Thomam, seu est habitus ad inordinatum appetitum vindictæ inclinans. S. Th. II, II, q. XLVI, a. 2. Vel, ut S. Augustinus definit, turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. S. AUG. ep. cxvii, ad *Nebridium*. Differunt autem inter se indignatio, ira, et iracundia, quod indignatio sit stimulus quidam brevis ac subitus, acutusque passionis vapor. Ira vero permanens ac diuturna tristitia, et veluti libido quædam se vindicandi. Iracundia denique habitus et consuetudo irascendi. Unde Antiqui eandem sub specie Martis, sive hominis furentis, in curru sedentis, galeam in capite gerentis, cum flagello in dextra, lupoque præcedente pingebant, teste Marchantio. MARCH. in *Tuba Sac.* tr. VI, sect. 1. *Instar Martis* quidem, quia Mars furibundus deus belli dictus est, et stella illa, quæ Mars appellatur, complexioni cholericæ dominatur, et ad iram movere dicitur. In curru sedentis; ad volubilitatem ejus significandam, nam propter complexionem cholericam et ignem prædominantem ab uno in aliud volutatur; hinc merito Siracides de eo dixit: Præcordia fatui quasi

rota carri, quasi axis versatilis cogitatus illius. Eccl. xxxiii, 5. Rota illius (quæ sunt inquietudo, impetuositatis, præsumptio, audacia) quasi impetus tempestat. Caput galeæ coopertum gerentis; quia iratus judicium rationis oblectum et obnubilatum habet, notus ille versus indicat.

Impedit ira animus, ne possit carnere verum. Cum flagello in dextra; quia sicut flagellum est instrumentum percussiois livorem faciens, sic ira per vindictam perentit ac punit. Hinc Ecclesiasticus: Flagelli plaga, inquit, livorem facit, plaga autem lingue comminet ossa. Eccl. xviii, 21. Cum lupo præcedente; quia iratus, sicut lupo, nemini parcat, omnes invadit, laniat, devoratque. Unde Ezechiel de ejusmodi furiosis Principibus ejus quasi lupi rapientes prædam. (Ezech. xx, 27.) Et ideo jam olim etiam Marti lupo consecratus fingebatur a Poësis.

Ira, ut S. Bonaventura ait, est motus et fervor sanguinis circa cor ex evaporatione felis, propter appetitum vindictæ. S. Bon. in *Declar. term. Th.*

DIVISIO. — Duplex est species iræ, quædam bona, et quædam mala; mala quidem quando inordinate tendit in vindictam, scilicet contra justitiam; bona vero, quando in vindictam debitam, quando scilicet quis irascitur, quando oportet, cum quibus, et quantum oportet. De utraque potest exponi illud Davidis: *Irascimini, et nolite peccare*; si de mala, hic est sensus, non præcipit, sed permittit, quasi dicat: Si sic est, quod motus iræ insurgat (quod humanum est) nolite peccare, id est, nolite perducere ad effectum per consensum; si autem exponant de bona, sic tenetur non solum permissive, ut primo, sed imperative; *irascimini*, scilicet contra peccata vestra, sumpta ullione de se ipso peccante; et sic poenitentia est quædam vindicta, quam homo facit, et capit de seipso; et hæc est bona ira, et de hac dicitur imperative: *Irascimini*, scilicet contra peccata vestra, et nolite peccare de cætero, nec talia committere, contra quæ iterum oporteat irasci. S. Thom. in cap. iv. *Ephes.* Hinc S. Chrysostomus recte dicit: Ne nos temere irascamur; ira enim nobis ideo insita est, non ut peccemus, sed ut alios peccantes prohibeamus; non ut fiat animi perturbatio et ægritudo, sed ut sit ægritudinum et perturbationum remedium. Cogita apud te, quam sit insigne vitium, quando medicamentum venenum efficitur;

quando per quod aliorum vulneribus medendum est, per id vulnera nobis infligimus: quemadmodum si quis accepto ferro, ut, quæ in aliis putrefacta sunt, rescindat, se ipsum ubique coincidat, se per totum corpus saucians, vel gubernator per clavum cymbam submergat, per quem ventorum impetuum impetum oportebat cohibere. Hujusmodi est etiam ira utile instrumentum, ut nostram excilet somnolentiam; ut animum nostrum intendat, viresque et robur addat; ut nos aciores efficiat, ut pro his indignemur, qui sunt affecti injuria; vel ad pœnas de insidiatoribus sumendas nos moveat; ea de causa dicit: *Irascimini, et nolite peccare*. S. Chrys. in *Ps. iv.*

Dividitur a S. Thoma in tres species, non quidem ratione objecti, sed subjecti, seu secundum ea, quæ dant augmentum iræ, nimirum 1. In *fel seu excaescentiam*, eo quod hæc ira cholericorum propria ob spirituum subtilitatem velociter exurgat, iterumque abeat, unde ira brevis, et ejusmodi irati *acuti* ab Aristotele vocantur. 2. In *maniam*, eo quod ex tristitia præcedente causata, diu in memoria maneat, sibi que et aliis sit permolesta, et amara; unde tales iratos Aristoteles *amaros* appellat. 3. In *firorem*, eo quod non quiescat, donec vindictam exerceat; hi tali ira *inveterata*, et tali modo irati a Philosopho *difficiles et graves* vocantur, ut qui nec persuasionibus, nec temporis diuturnitate, sed sola vindicta mitigantur. S. Thom. II, II, q. xxxix, p. 8. Eodem plane modo S. Gregorius Nyssenus, tres, ait, sunt irascibilitatis (malæ videlicet) species, scilicet ira, quæ vocatur *fellea*; et mania, quæ vocatur *insania*; et furor. Iram felleam dicit esse, quæ principium et motum habet, quod Philosophus attribuit *acutis*. Maniam vero dicit esse iram, quæ permanet, et in vetustatem devenit, quod Philosophus attribuit *amaris*. Furorem autem dicit esse iram, quæ observat tempus in supplicium, quod Philosophus attribuit *difficilibus*. S. GREG. NYSS. ap. Mansi, tr. xxxix dis. 1, n. 6.

Aliter adhuc iracundiæ et iracundorum species proponit itidem S. Gregorius quando, 4. inquit: *Nonnulli citius accenduntur, facilius deserunt*; et hi accensis calamis sunt similes, quia, dum vocibus obstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt, et citius quidem flammam faciunt, sed protinus in favilla frigescent. 2. *Alii tardius*

commoventur, sed diutius tenent iram; suntque lignis gravioribus humidisque non dispares, quæ tardius accensionem suscipiunt, attamen semel accensam diutius flammam fovent. 3. *Alii (quod est nequius) et citius iracundiæ flammam concipiunt, et tardius depouunt*; lignis aridis et durioribus assimilandi, quæ et accenduntur facile, et diu ardent. 4. *Alii tarde irascuntur et cito placantur*; humidis calamis similes, qui ob tenuitatem materie cito consumuntur. S. GREG. I. V. *Mor.* c. xxxii.

ACTUS. — Primus actus iræ, quatenus est in corde juxta S. Thomam *Indignatio*, per quam iratus eum, qui læsit, indignum reputat, ut talem læsionem ipsi procuraret.

Secundus est *Tumor mentis*, per quem offensus varias vindictæ vias excogitat, et talibus cogitationibus replet.

Tertius, quatenus ira per os ostenditur, est *Clamor*, sed ob inordinatam et confusam locutionem, quam Christus in Evangelio per vocem *Raca* expressit.

Quartus sunt *Verba injuriosa*, vel contra Deum (ut est blasphemia) vel contra homines prolata, et communiter *Contumelia* nominatur.

Quintus, quatenus ira procedit ad factum sunt *injurie*, per quas intelliguntur omnia nocenta, quæ iracundia impellente proximo inferuntur. Atque hiactus hoc ordine assignati, etiam *Gradus iracundiæ* dici possunt, quia experientia teste, ira ab initio mente concipitur, dein voce proditur, et tandem facto ipso, seu damno illato, perficitur et completur, ideoque Cælo fulminanti non male comparatur, quod primum fulgurat, post tonat seu murmurat, et tandem omnino fulmine ferit. S. Th. II, II, q. clviii, 1.

EX S. SCRIPTURA.

Impii, quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in concalcationem, et lutum. Is. c. xxxvii.

Ira viri justitiam Dei non operatur. JAC. I. Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam. Eccl. c. 1, 28.

Melior est patiens viro forti, et qui dominator animo suo expugnatore urbium. PROV. c. xvi.

Fatuus statim indicat iram suam; qui autem dissimulat injuriam, callidus est. Ib. c. xii.

Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivis. *IB.* c. XXIX.

Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; et impetum concitati spiritus quis ferre poterit. *PROV.* XXVII, 4.

Ira et furor utraque execrabilia sunt, et vir peccator continens erit illorum. *ECCL.* XXVII, 33.

Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? *PROV.* XVII, 14.

Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitat. *PROV.* XV, 18.

Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa et iracunda. *PROV.* XXI, 19.

Tendit (iratus) adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratur est. *JOB.* XV, 25.

FIGA. — Memorare timoris Domini, et non irascaris proximo. *ECCL.* XXVIII, 8.

Sol non occidat super iracundiam vestram; nolite locum dare Diabolo. *EPH.* IV, 26.

Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur. *JAC.* I, 19.

Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum anime tue. *PROV.* XXII, 24.

Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *ECCLES.* VII, 10.

Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. *EPH.* IV, 11.

Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam et ego retribuam. *ROM.* XII, 19.

Non queras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. *LEV.* XIX, 17.

Ego dico vobis, non resistere malo; sed si quis le perusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram. *MATTH.* V, 19.

Nulli malum pro malo reddentes. Sed semper, quod bonum est, sectamini ad invicem, et in omnes. *ROM.* XII, 17.

Desine ab ira, et derelinque furorem; noli æmulari, ut maligneris. *PS.* XXXVI, 8.

DAMNUM. — Zelus et Iracundia minuunt dies, et ante tempus senectam adducet cogitatus. *ECCL.* XXX, 26.

Vir iracundus provocat rixas, et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior. *PROV.* XXIX, 22.

Grave est saxum, et onerosa arena; sed ira stulti utroque gravior. *PROV.* XXVII, 3.

Ego autem dico vobis, quod omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. *MATTH.* V, 22.

Virum stultum interfecit iracundia, et parvulum occidit invidia. *JOB.* V, 2.

Cum iracundo non facias rixas, et cum audace non eas in desertum, quoniam quasi nihil est ante eum sanguis, et ubi non est adiutorium, elidet te. *PROV.* c. XXIX.

Certamen festinatum incendit ignem, et lis festioans effundit sanguinem, et lingua testificans adducit mortem, si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit. *LUC.* c. XXIX.

Angelus crudelis mittitur contra eam, scilicet iracundum.

Non est caput nequius super caput mulieris, et non est ira super iram mulieris. *ECCL.* c. XXV.

Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum; et qui vehementer emungit, elicit sanguinem; et qui provocat iras, producit discordias. *PROV.* c. XXX, 33.

IRA BONA. — Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. *ECCL.* c. VII.

Irascimini, et nolite peccare. *PS.* IV.

IRA DEL. — Ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii et filie. *DEUT.* c. XXXIV.

Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo. *PSAL.* II.

Ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus. *PSAL.* XXIX.

Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. *MICH.* c. VII.

Quis novit potestatem iræ tuæ; et præ timore tuo iram tuam dinumerare? *PS.* LXXXIX.

Qui, cum iratus fueris, misericordiam facies. *TOB.* c. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Plerumque per silentium clausa ira intra mentem vehementius æstuat, et clamorosæ tacita voces format. Verba sibi, quibus exasperetur, objicit, et quasi in causæ examine posita durius exasperata respondet. *S. GREG.* I. III *Mor.*

Aliquando iracundus manus non exigit, sed in maledictionis jaculum lingua vertit. Fratris namque interitum precibus exposcit, et hoc Deum perpetrare expedit. *IBID.*

Nihil iracundo homine insavius, nihil gravius, nihil infestius, turpius nihil, sicut contra nihil iracundi nescio jucundius. Feræ potius, quam iracundo homini cohabitandum est; nam illa, cum semel mansuefacta fuerit, suam servat legem; hunc autem quoties mitigaverit, rursus efferatur. *S. CHRYS.* hom. XXIX, ad *Pop.*

Noli æmulari, ut maligneris; æmulatur ut malignetur, qui sic irascitur peccato, ut irascatur et fratri; qui sic æmulatur legem, ut malignetur proximo. *PS.* XVIII, 15.

Quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse sinit. *S. BASIL.* hom. x, de *Ira.*

Cum iracundia rationem depulerit, et dominatum animæ occupaverit, hominem penitus efferat, nec amplius hominem esse sinit. Quod enim bestiis, quæ venenum emittunt, est venenum, hoc hominibus exacerbat est ira, insanitum tamquam canes, impetum faciunt, ut scorpiones, mordent veluti serpentes. *Id.* IX.

Aliquando ira perturbato animo quasi ex iudicio silentium indicit; et quo se foras per linguam non exprimit, intus deterius ignescit, ut iratus quisque colloctionem suam proximo subtrahat, et nihil dicendo, quam sit accensus, dicat. *S. GREG.* I. V *Mor.* c. XXX.

Commonet (*S. David*) ne per iram peccetur; solem enim modum egredi, dum irascimur, et non invenimur ipsi peccare, qui peccantes arguimus, dum plus irascimur, et amplius oneramus peccantem, quam meretur. *S. AMB.* in *Ps.* IV.

Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius quam animo non commoveri, hoc nostrum est, naturæ illud.

Ira plus in vindicta exigit, quam injuria accipit. *GREG.* XXVIII *Moral.*

Quid iracundo furor suus confert, quem sevisissimis exagitatum stimulis conscientia, ita ab omni consilio ac mente deturbat, ut dum irascitur, insanire credatur? *HIER.* ad *Demet.*

FIGA. — Quoties ira animum invadit, mentem etiam, vince teipsum, differ tempus furoris, et cum tranquilla mens fuerit, quod pla-

cet, vindica; ira enim in vindictam malorum sequi debet rationem animi, non præire, ut quasi ancilla justitiæ post tergum veniat, et non lasciva ante faciem prorumpat. Aliquando vero ostendenda est, et non exhibenda; aliquando exhibenda, sed nunquam sequenda; quando enim in executione justitiæ placata mente irascimur, iracundiam, et non sequimur, et exhibemus. Ira enim quæ animum perturbat, quanta consideratione cavenda est, monstratur, de qua scriptum est: « Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. » *S. AUG.* ep. LI.

Ira mortiferum virus, de recessibus animæ nostræ funditus eruendum. Hac enim in cordibus nostris insidente, et oculum mentis noxiis tenebris obcæcante, nec iudicium recte discretionis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum, nec maturitatem consilii possidere, nec vitæ particeps, nec justitiæ tenaces, sed nec spiritualis quidem ac veri luminis capaces poterimus existere, quia perturbatus est, inquit, præ ira oculus meus. *CASSIAN.* I. VIII de *Spir. iræ*, c. 1.

Si ab animo sapienti amaram perturbationis radicem extirpare poteris, multa cum hoc principio perturbationis semina facile extingues; nam et dolus, et suspicio, et infidelitas, et malignitas, et insidia, et audacia, et omnia his similia, hujus vitii germina sunt, atque appendices. Itaque, fratres amantissimi, ne, obsecro, tantum nobis malum inducamus, animæ morbum, rationis tenebras, a Deo alienationem, oblivionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem calamitatum, Dæmonem pessimum nostris animis innatum, incolam quandam impudentem, nostra interiora possidentem. *S. BASIL.* hom. de *Ira.*

Amarulentiam vocat præparationem ad iram, tumor autem iræ generativus est; ex ira vero procedit vociferatio, et ex hac maledicentia sive convitium. Hecigitur omnia tollantur a vobis, non dicit cohibentur, aut puniantur, sed omnem eorum significans ablationem, tollantur, inquit, cum omni malitia; quandoquidem enim nonnulli sunt homines more canum clam mordentes, qui neque vociferantur, neque manifestam faciunt iram, sed in animo eam servantes, data occasione ulciscuntur se de eo, qui contristavit. *OECCUMENIUS*, in *cap. IV. Eph.*

Fugiamus iram, quæ rationem suffocat, mensuram justitiæ ignorat, solem justitiæ

nescit, amicitias rumpit, de facili auferit pacem mentis, sapientiam calcat, sapientes infatuat, gravitatem in pastoribus dilacerat. S. AUG. ser. ix. ad FF.

Sciendum nobis magnopere est, quia quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem redire Conditoris conamur; nam cum tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodammodo, scissamque perturbat, ut sibi metipsi non congruat, ac vim intime similitudinis amittit. Quanta ergo sit iracundiæ culpa, pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiat! S. GREG. I. II Mor. c. xxx.

Displicet tibi alterius ira; quod tibi in altero displicet, in te ipso quoque displicet. Noli te aequalem stulto facere, quia ira in sinu stulti requiescit. Si tu iraceris contra eum, eritis duo mali, tu, et ille. Melius est te esse bonum, quamquam ille sit malus; cur tu ex alterius malitia malus efficiaris? ALCIUS, I. de Vir. et Vit. c. xxiv.

Resiste ira, si potes; cede, si non potes. Si prævenit, et præoccupaverit mentem tuam iracundia, et descenderit in te, non relinquo locum tuum; locus tuus patientia est. S. AMBR. lib. I de Offic.

Irasci hominis est, iram non perferre Christiani. SALVIAN. ep. ix.

Ponamus, si placet, iram quoque esse bestiam quandam; quantum igitur ab aliis erga mitigandum leonem studium commodatur; tantum tu erga iracundiam impende curam, et effice huiusmodi cogitationem mansuetam ac mitem; siquidem et hæc fera unguibus sævissimis armatur et dentibus; et nisi illam sollicitè mansuefeceris, cuncta simul disperdet, et lacerabit. S. CHRYS. hom. vi in Math.

Ne, fratres dilectissimi, malum malo curate, nec contemnite invicem calamitate mutua vincere. In rixa enim inferior est, qui victor est, ac peccatis longe gravior descendit. S. BASIL. in hom. de Ira.

Si non potes iram vitare, tempera; si non potes furorem cavere, cohibe. ISID. I. I de Soliloq.

DAMNUM.—Per iram sapientia perditur, ut quid quove ordine agendum sit, nesciatur. Per iram iustitia relinquitur, quia, dum perturbata mens iudicium sine ratione exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia vite socialis amittitur, quia, qui se ex humana ratione non temperat, ne-

cesse est, ut bestialiter vivat. Per iram mansuetudo amittitur, per iram concordia rumpitur, per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. S. GREG. I. V Mor.

Janua vitiorum omnium iracundia est, qua clausa virtutibus intrinsecus dabitur quies; aperta vero ab omne facinus armabitur animus. S. HIER. in Prov. I. III, c. xxix.

David personam in se infirmorum sumens ait: Turbatus est præ ira oculus meus. Atque ex ipsa perturbatione quid sequatur, adjungit dicens: Invetravi inter omnes inimicos meos. Ex ira quippe cum turbatus fuerit oculus cordis inter inimicos nostros ad vetustatem reducitur, quia inter malignos spiritus ad vetusti hominis similitudinem revocatur. S. GREG. I. VIII Reg. c. li.

Neque injurias illatas vindicare cupiamus, neque hostiliter in proximum affecti simus. Nihil enim omnium Deus ita odit et aversatur, ut hominem ultionis avidum, et in animo suo perpetuas servantem inimicitias. Tantum enim ejus peccati damnus est, ut Dei misericordiam revocet, nec locum habere sinat. S. CHRYS. epist. viii.

Satius est, viperam vel anguem in corde tuo latere quam iram et rancorem. Illa namque nos repente relinquunt, hæc autem semper remanet, dentes diligens, infundens venenum, graves adducens cogitationes. S. CHRYS. hom. xxxi, ad Pop. Antioch.

Quantum esse putas tormentum homini iracundo quotidie, qualiter inimicum ulciscatur, consideranti? Priorem semetipsum et punit et castigat, intra semetipsum tumens, adversus se pugnant et exardescens. Ibid.

Per omne vitium, quod ab hominibus perpetratur diversis utique modis misero cordi veterum hostis virus infunditur; in iracundia vero peste, tota sua viscera serpens concutit, omnem felis amaritudinem evomens fundit. S. PETRUS DAM. I. VI, epist. xvii.

Ab ira procedit rancor, a rancore odium, quod est ira inveterata in animo; inde nascitur homicidium, et si non opere, saltem voluntate; inde contumelia, inde detractio, inde susurratio, suspicio, et injuria, que sunt opera carnis et Diaboli. S. AUG. ser. ix. ad FF.

Est nociva bestia, sibi nocens, et alios

scandalizans, virus mortiferum, animam interficiens, et Spiritum S. expellens. Cum autem vim irascibilem obtinuit, statim introducti ibi suam familiam, que sunt rixa, furor mentis, contumelia, clamor, indignatio, et blasphemia. S. BONAV. de Pug. Spir. c. iv.

Ohi iram ensis acuitur, inquit S. Basilus, mors homini ex homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes ac liberi naturæ obliviscuntur, sed ante omnia se ipsos haud agnoscunt irati. S. BASIL. h. de Ira.

De ira nota specialiter tria: scilicet odiosam ejus effugiem, ejus ruinosam perniciem, et ejus vitiosam propaginem. S. BONAV. in Diut. c. v.

Superne accensa facie alio aspectu visendum exhibet iratum, eam formam, que omnibus consueta est, et nota, quasi larva quadam; ut in scena fieri solet, prorsus immutans; oculi consueti non apparent, sed ignei micantesque; dentes acunt, veluti sues grassantes; vultu sunt liventi, sanguine suffuso, oris tumore increbescente, vense obturbati intra viscera spiritus angustiam disruptæ; vox aspera et intensa, sermo inconstans, et confusus, ac temere cadens, nec concinne, nec significanter, nec ex parte quidem prolatus. S. BASIL. l. c.

Per iram certe Sancti Spiritus splendor excluditur; hujus scilicet habitaculum fieri mens improba non meretur; unde per Prophetam dicitur: « Super quem requiescit Spiritus meus nisi super humilem, et quietum, et tremantem sermones meos? » Nam cum humilem dixit, quietum consequenter addidit; quia, dum ira menti quietem simul et humilitatem subtrahit, suam Sancto Spiritui protinus habitationem claudit. S. PETRUS DAM. I. IV, ep. xvii.

Ira vel odium auferit imaginem Dei, et characterem filiorum Dei, quem imprimit Charitas, imprimens characterem bestie, id est, Diaboli. Hic character imprimitur in corde, quando mens intrinsecus perturbatur; in fronte vero, dum per signum extrinsecus demonstratur; in manu autem, quando ad proximi læsionem manus extenditur. BREV. Spec. p. I, c. iii, dist. i.

Si vituperatus vicissim vituperas, superatus es, non quidem ab homine, sed, quod turpius est, ab affectu illiberali, ira scilicet commotus; si vero læceris, vicisti, et citra laborem trophæum erexisti, et infinitos habebis, qui te coronent. S. CHRYS. hom. xxiv.

de Ira. Ergo ira abstinendum est (consult prudentissime Seneca) sive par est, qui læcendendus est, sive superior, sive inferior; nam cum pare contendere, anceps est; cum superiore, furiosum; cum inferiore, sordidum; pusilli hominis et miseri est, repetere mordentem; mures et formicæ, si manum admoventis, ora convertunt; imbecillia se lædi putant; si tangantur. SEX. I. II, de Ira c. xxxiv.

Sicut acetum corrumpit vas si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. S. AUGUST. in Epist.

Ira homicidii radix est. S. CHRYSOST. sup. Math. hom. xvi.

Quanta sit iracundiæ culpa pensare possumus, per quam dum mansuetudo amittitur, superna imaginis similitudo vitiat. S. GREG. II Moral.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS.—Dum imperante Henrico Tertio, eodemque in urbe Moguntina festum Pentecostes devote peragente, familiares Archiepiscopi et Abbatis Fuldensis propter præcedentiam (de qua inter se Archiepiscopus et Abbas contendeabant) manus consecrarent, templi pavementum effuso utrinque sanguine conspersum fuit; at vero mox Episcopi et alii advolantibus, pax inter dissidentes composita est; cumque post templi profanati repetitam benedictionem, Missa solemniter in eodem celebraretur, hæcque verba recitarentur: « Hunc diem gloriosum fecisti, » audita est ex aere resonans vox dicens: « Hunc diem bellicosum ego feci » quam vocem Imperator audiens, facile sibi Dæmonis vocem esse persuasit, prout, revera erat, ac proinde respondit: Tu omni malitiæ inventor et inventor diem bellicosum, et arrogantibus luctuosum fecisti, sed per gratiam Dei, qui illum gloriosum fecit, pauperibus gratiosum faciemus. Jussit igitur lautissimos mensæ suæ cibos inter pauperes distribui, quibus ipsemet Casareis manibus suis ministravit. MARCH. in Tuba Sacerd. tr. IX, lect. ii.

Inter alia exempla, quæ de antiquis Patribus leguntur, celebre est illud, quod de quodam illorum refertur; qui, cum ad iram proclivis esset, solitarius vivere statuit, ne haberet occasionem qua ad furorem iracundiæ concitaretur. Cum vero die quadam hy-

driam suam aqua implere vellet, hæc mox ut aqua impleta fuit, eversa est; secunda igitur vice eandem reimplevit, et hydria impleta denuo corruit; et cumque tertia vice eandem impleisset, hydria eversa denuo omnem aquam effudit, unde ira percitus hydriam in minutas partes confregit. Tandem vero in se reversus agnovit, quia ab eodem Dæmone iracundie sit illusus, et dixit: Ecce ego solus sum, et vincit me; revertar in congregationem, quia ubique labore et patientia opus est, et maxime adjutorio Dei. MANSI, dis. VIII, n. 2.

Iracundie deditus Frater, cum putaret, per Fratres suos occasionem iræ sibi ministrari, in solitudinem fugit; sed cum ibi etiam a Dæmone ter ei vas aquarum eversum esset, ideoque iratus ipse in terram illud allideret, demum videns, intus in animo latere radicem iræ suæ, ad Monasterium rediit, atque ad dietam radicem extirpandam animum applicavit. *Spec. Ev.* dist. n. ex. 110.

Iracunda quædam mulier, cum propter hoc vitium omnibus esset importabilis, et tandem a filiis ad S. Macarium adducta, et suasu illius, peccata sua confessa fuisset (quod nunquam prius se fecisse responderat) repente tam mitis et mansueta evasit, ut nullis damnis aut contumeliis exasperari posset. *Ibid.* dist. VIII, ex. 47.

Saul, Rex Judeorum, cum audisset Davidem sibi odiosum ab Abimelech in Nobea civitate hospitio susceptum, ira et odio civitatem et hospitem incendit, incolis utriusque sexus interemptis. I. REG. XV.

David Rex alioquin benignissimus, qui velut ex professo hostes suos diligere videbatur, Nabalis tamen superbiam et ingratitude cum ferre non posset ira incensus eum cum tota familia ad interfectionem delivisset, nisi Abigail Nabalis uxor ipsum placasset. I. REG. XX.

Considerans Jonathan, filius Saul, nequitiâ patris sui contra David, surrexit a mensa ira furoris sui, et non comedit panem illa die. I. REG. 20.

PEGA. — Christus aliquando S. Brigittam propter iræ motum leniter reprehendens eidem dixit: Ego Creator et Sponsus tuus propter te sustinui verba, tu vero impatiens adeo fuisisti, ut verba portare non poteris. Ego stans ante Judicem tacui, et non aperui os meum; sed tu acerbis respondendo, et exprobrando vocem tuam nimis exaltasti.

Tu debueras omnia patienter tolerare propter me, qui clavus affixus fui pro te; debueras per patientiam eum, qui erravit, ad meliora provocare. Sis ergo post hæc cautior, ubi ab aliquo ad iram provocata fueris, non facile loquaris, donec ira ab animo tuo recedat. Transacta autem animi commotione, et causa ipsius commotionis diligenter pensata, poteris loqui cum mansuetudine. Quod si loquendo nihil proficeres, et tacendo non peccares, melius faceres, et majus meritum acquireris, si sileres. LUD. BLOSIVS c. IV. *Monit. Spirit.*

Abbas Agathon dicere de se solebat: Numquam litem habens cum aliquo dormivi, sed nec permisi aliquem mecum litem habentem dormire, quantum ad virtutem meam pertinuit, nisi prius cum illo in pacem redirem.

Cum Joannes Abbas ab antiquo suo sodale Pesio in eremo vastissimo commorante quaereret, quid per quadraginta annos ibi egisset, illeque responderet: Numquam me sol reficientem vidit; subjecit: Nec me unquam iratum; licet magna Fratrum multitudini præfuissem. CASS. I. v. *Inst.* c. XXVI.

De S. Martino scribit Severus Sulpitius: Nemo unquam Martinum vidit iratum, nemo moerentem, nemo ridentem. Unus idemque semper celestem lætitiâ vultu præferens. *SERPUS, in Vita,* 41, nov.

Cum S. Spiridioni ad aulam a Constantino Imperatore vocato quidam eum in lacera veste incedentem conspicuisset, alapam infregisset, ille consilium Christi secutus mox alteram quoque genam porrexit, itaque hoc facto cor percipientis permovit, ut illico ad pedes precidens veniam petierit. *Idem,* 24 dec.

S. Ephrem dicitur primum iracundiâ intemperanter subjectus fuisse, et ob eam causam monasticam vitam exercuisse, ne a quopiam irasci videretur. Cum igitur illi, ubi plures dies more suo jejunasset cibum minister afferens ollam fregisset, et hunc pudore ac metu teneri cerneret: Bono sis animo, inquit, ad cibum nos eamus, quandoquidem ille usque ad nos non venit. Et fragmentis ollæ assidens pransus est. *SOZOM. I. III, Hist. Eccl.* c. XV.

Post mortem illustris Imperatricis Placidie, Theodosius pro suo in illam amore, nec non propter ejus excellentem virtutem, statuam æneam erigi jussit Antiochiæ; quam populus (ob novum tributum indic-

tum) tumultuans dejecerat. Unde Imperator ad eam injuriam vindicandam milites convocavit. Sed Macedonius vir divina gratia plenus, ad aulam Principis his verbis est usus: Ut mandata hæc ad Imperatorem referatis, dilecti filii, oro. Meminisse te, o Imperator, oportet, non solum Principem, sed hominem etiam te esse. Proinde non ad Imperii tantum amplitudinem respice, sed naturam ipsam considera. Quum enim hominis, hominum tibi Imperium commissum est, qui cum ejusdem læcum sint sortis, et conservi adeo tui; jam ab ipsa creatione, imagine Dei coonestati sunt. Itaque ne tam vesana audacia adversus divinam imaginem grasseris, vide; imaginis enim Dominum ad iram concitabis, si in eos, qui imaginem illius gerunt, sævias. Tum autem illud etiam te displicere decet, te propter æream imaginem multitudini infensum, crudeliter in eam animadvertere velle. Quanto autem imago animata inanimatæ præstat, quid dicere opus est? Nam id eis etiam, qui vel mediocrem obtinuerint mentem, constat; illud præterea fac, cogites, nobis quidem perfacile esse, plures ex ære facere imagines pro una illa, quam vecordi temeritate insana plebs comminuit; te autem nequaquam efficere posse, quantumvis contendas, ut vel capillum unum eorum, qui cæsi sunt, creare valeas. Hæc illi a senè sapiente audita, sicuti simpliciter dicta erant, ita Imperatori renuntiaverunt. Non parum etiam Flaviani Episcopi legatio illis profuit, ut iræ flamma in Imperatore extingueretur. Postea namque ira et minis omissis communem populo scripsit defensionem, crimen illis condonavit. *NICEPH. I. XII, c. XLIV.*

S. Petrus Damianus, Prælati et Cardinalis dignissimus, ex naturali indole sua iræ deditus erat; sciens autem, quam in illa dignitate necessaria sit mansuetudo, audito quidam in Epistola quadam a principio allegata de semetipso scripserit; postquam enim ibidem damna ab ira proficiscentia proluxè exposuisset, subjungit: Porro autem, et me, qui hæc utrumque scribo, naturalis iracundiæ conspersio stimulat, ac sæpe levissima quælibet offensa concussa meæ quietis arcana perturbat, ut in me plerumque, quod vix est ac, vel spina leviter punctum, phalarico telo mihi videatur esse perfossum. Sed hæc intrinsicus; quantum vero ad opus, dicat ira quod vult, fredeat, fremat, dentibus strideat in omnibus his, quæ mihi

interius suggerit, in quantum negare potuero meum extrinsecus adjutorium non habebit, licet inflata turgeat, sufflet, furat, sæviat, intumescat; ego illi membra mea non dabo, ut per ea quasi per arma, quod conatur, efficiat. Nolite, inquit Apostolus, exhibere membra vestra, arma iniquitatis peccato. Non enim illi do manum meam, ut per eam inflata percipiat, vel aliquid capiat. Non linguam, non labia moveo, ut per eam suis fellis amaritudinem fundat. Dum ego itaque sævienti iræ penitus hæc auxilia denego, necesse est, ut mox velut sine pabulo flammam flaccescat, aut prorsus intereat, aut tamquam ventus inoffenso aere inaniter transeat, dum obstaculum deest, in quo præcipitanter impingat. S. PETRUS DAM. I. IV, epist. XVII.

S. Joannes Eleemosynarius, Patriarcha Alexandrinus, aliquando propter pauperes cum Niceta contenderat, Imperatoris cliente, non parum indignatus quod inopes videret pessumdari, nihilominus se ipsum de hac alteratione reprehendere cepit, sequè ita loqui: Non vides, quoniam sol ad occasum vergit? Non recordaris præcepti Apostolici? Moxque vocatis sacerdotibus, eos ad Nicetam ablegavit, ut dicerent: Sol ad occasum est. Quo hic audito, intenerasere cepit, ita ut mutuum, longe strictiorem, quam unquam, renovavit amicitiam. MANSI, dis. XIV, n. 9.

In Patrum antiquorum vitis de sancto quodam seniore, qui nomen Isidorus, legitur, quod aliquando, cur Dæmonibus adeo formidabilis esset, interrogatus, responderit: Ex quo factus sum Monachus, studeo, ne permittant iracundiam usque ad facies meas ascendere. *Vit. PP.* I. IV, p. 2.

Fuit quidam Monachus in eremo Scithi; venit autem ad visitandos S. Patres in loco, qui dicitur Cellia, ubi multitudo Monachorum divisim habitat cellis. Cumque non inveniret ad præsens cellulam, ubi posset manere, quidam de senioribus habens altam vacantem cellulam, dedit ei dicens: Interim repausa in hac cellula, donec invenias, ubi possis manere. Cumque ad visitandum eum convenirent quamplurimi Fratres, desiderantes ab eo audire verbum salutis æternæ, habebat enim spirituale gratiam docendi verbum Dei, videns ille senior, qui ei ad habitandum præstiterat cellam, invidia livore cor ejus vulneratum est, et indignari cepit, ac dicere: Quoniam ego tantis temporibus in loco habito, et ad me non veniunt

Fratres, nisi rarissime, et hoc in diebus festis, et ecce ad istum impostorem pene quotidie Fratres quamplurimi vadunt. Dixitque discipulo suo: Vade, et dic ei, ut egrediar de cellula illa, quoniam necessaria mihi est. Cum autem perrexisset discipulus ejus ad illum Fratrem, dixit ei: Mandavit Abbas meus sanctitati tue; jube ei per me mandare, qualiter habeas, audivit enim te infirmari. Ipse vero remandavit ei, dicens: Ora pro me, Domine, quia valde stomachum doleo. Reversus autem discipulus dixit Abbati suo: Nimis rogat sanctitatem tuam, ut vel duos dies jubeas ei inducias dare, et possit sibi aliam cellam providere. Transactis autem tribus diebus, iterum misit discipulum suum, dicens: Vade, dic ei, ut egrediar de cellula mea. Nam si rursus distulerit, dices ad eum; quia continuo venio, et cum baculo cadendo expello eum de cella mea. Pergens autem discipulus ad supra dictum Fratrem dixit ei: Quoniam valde sollicitus est Abbas meus de infirmitate tua, ideo misit me requirens, si melius habeas. At ille respondens dixit: Gratias ago, Domine sancte, charitati tue, quia sollicitus de me, verumtatem precibus tuis melius habeo. Reversus autem discipulus dixit Abbati suo: Etiam et nunc deprecatur sanctitatem tuam, dicens, ut usque ad diem Dominicum expectes, et statim egredietur. Cum autem advenisset Dominicus dies, et non egrediretur; accipiens vectem senior, inflammatus invidiæ, et iracundiæ spiritu, pergebat, ut cadendo expelleret eum de cellula sua. Accedens autem discipulus ejus dixit ei: Si jubes, Pater, præcedo te, et video, ne forsan aliqui Fratres ad salutandum eum venerint, et si viderint te, scandalizentur. Præcessit ergo discipulus, et ingressus ad eum dixit: Ecce Abbas meus venit ad salutandum te, egredere ergo celerius, et cum gratiarum actione occurre ei, quia pro nimia charitate et dilectione venit ad te. Qui statim surgens cum nimia alacritate occurrit ei. Cumque vidisset eum, antequam approximaret ad eum, prostravit se pronus in terram, adorabatque senem, cum gratiarum actione dicens: Retribuat tibi Dominus, charissime Pater, bona æterna pro cellula tua, quam mihi propter nomen ejus prestitisti, et in cœlesti Jerusalem inter Sanctos suos Christus Dominus tibi gloriosam et splendidam præparet mansionem. Hæc autem audiens senior, compunctus est

corde et projiciens baculum recurrit in amplexus ejus, et osculatus est eum, et invitavit illum in cellulam suam, ut pariter cum gratiarum actione sumerent cibum. Vocavit autem senior supra memoratum discipulum suum, et interrogavit eum, dicens: Dic mihi, fili, si dixisti verba isti Fratri, quæ propter cellulam mandavi, ut diceret ei. Tunc discipulus ejus confessus ei, dicens: Vere, Domine, dico, quia propter humilitatem, quam tibi exhibere debeo, tanquam Patri et Domino, ideo non audebam respondere tibi aliquid, quando me mittebas ad eum. Verumtamen nihil eorum dixi ei, quæ mandabas ad eum. Hoc audiens senior, statim prostravit se ad pedes ejus, dicens: Ex hodierna die tu meus Pater esto, et ego discipulus tuus; quoniam te festinante et moderante, ac cum timore et charitate Dei agente, et meam et illius fratris animam de peccati laqueo Christus Dominus liberavit.

ДАНУЖ. — De Mathia, Rege Hungariæ, legitur, quod, cum ipsi ad mensam accumbenti diceretur, legatam Franciæ adesse, ut ipsum Regis sui nomine veneraretur, servis suis recentes apponere ficus jussisset; cui cum servi nullas ficus superesset responderent, adeo vehementer iratus fuerit, ut subito ex apoplexia mortuus conciderit. *Ibid.* disc. ix, n. 6.

In Historiis de Wenceslao, Rege Bohemiæ, sequentia leguntur. Cuidam subito offensus morti eum adjudicare parabat, itaque ab iracundia est superatus, ut brevi paralyti convulsus, membrorum officio destitutus, in terram eaderet, pauloque post moreretur. *Ibid.*

Valentinianus Imperator expeditionem in Sarmatas et Quados facturus, legatis eorum pacem rogantibus, simul intellexit, quod rogaret, eos videlicet sue gentis honoratissimos esse, tantopere ob indignationem eorum, imperium suum exagitantium, stomachatus est, ut ruptis venis atque arteriis sanguine exhaustus, mortuus subito corruerit. *Ibid.*

In quadam historia Patavina funestus hic legitur eventus, de duobus antiquæ et nobilis familie fratribus, ex familia nimirum Lîminæ Patavina antiquissima. Dum enim sub intempesta nocte vice quadam foris extra domum consistentes, cœlum suspicerent stellatum, unus eorum dixit: Utinam tot boves haberem, quot in cœlo sunt stelle! Alter vero ex joco subjunxit: Utinam cœ-

lum pratam quoddam esset, et in mea proprietate et dominio positum, in quo tu volitivos hosce boves tuos pascere cogeres. Subjunctus alter: In tuone prato ego boves meos pascam. Respondit ille: Quid si ego nollem? Subdebat alter: Etiam te invito illos in pascua tua ducerem. Itane, inquit alter, in meum despectum hoc faceres? Tandem joco in furorem mutato, a verbis ad verbera, a verberibus ad enses deventum fuit, quibus unus alterius viscera transegit. *Ibid.* disc. iii, n. 9.

Longe deplorabilior est alter quidam casus, qui nostro hoc contigit sæculo, si auctori illum referenti fidem habere volumus. Audi igitur, quod novimus de facto contigisse ævo nostro, inquit ille. Quidam ira quasi furia infernali agitatus, cum in hostem incidisset, pedibus suis terebat diu prostratum, quasi deliberando, quantum via, furori, et odio concepto satisfacere posset. Tandem arget, ut Deum abneget, alioquin mucrone jam jugulo incumbente se illum confossurum esse assertit; spem autem evadendi ei dabat, si modo abnegaret. Hærebant ille sub pugione trepidus, et mortem horrebat imminente, quam sperans evadere, et peccatum postmodum penitentia diluere, in Dei abnegationem ore sacrilego prorumpit, verum id malo suo æterno et irrevocabili. Mox enim cum alter perfodit, ubi ab negationem extorsit; hæcque adiecit consolationem satanicam: Jam tandem satiabor, jam in eo me solabor, quod tibi non solum corporis, sed et animæ perennem salutem ademerim. *MARCH.* l. c.

In vita Divi Chrysostomi de Eudoxia Imperatrice refertur, quod, cum sancto huic Episcopo irata esset eundem hærescos coarguere conata fuerit, ut in exilium ipsum proseribere posset; hoc igitur fine Epiphanium, Episcopum Cypri, partibus suis adsciscere satagit, qui dum illum hortaretur, ut se cum S. Doctore reconciliaret, illa rabie et furore plena respondit: Nisi tu, Epiphani, adjuveris, ut Joannes exilio muletetur, ego clausa idolorum templa aperiam, omnibusque ea adoranda proponam. *MANSI,* disc. iii, n. 9.

Abbas Stephanus cum totus ejus ager ad messem paratus ab improbo quodam vicino successus esset, et alius, ut hoc nuntiaret, ad eum accurrens diceret: Væ, væ, Pater Stephane, totus ager tuus incendio absumptus est? respondit: Imo, mi Frater, væ illi,

qui hoc fecit; me enim parvo, seipsum vero maximo damno affecti. S. GREG. I. IV *Dial.* c. xix.

Aleator quidam cum omnem lusu pecuniam perdidisset, tanto furore correptus est, ut post gravissima convitia in collusores, ac horrendas blasphemias in Deum, cœlestesque prolatas, ipsas denique in sacello quopiam Christi crucifixi, B. Virginis, aliorumque Sanctorum statuas aggressus, gladio in multas partes dissecut. Ex quibus vulneribus cum non aliter sanguis, ac si viva forent corpora proflueret, ille attonitus, in loco tamdiu stetit, donec deprehensus in fragranti erimine, et paulo post in urbe Moguntina exustus est. *MARCH. Tub. Sac. tr. VI.* lect. ii.

Abbas Moyses, sanctitatis fama celebris, quia iracundiori verbo S. Macarium perstrinxerat, subito a Dæmone possessus est. *CASSIAN. Col. vii, c. xxvii.*

Cum in Brabantia quondam Jacobo de Vitriaco, Cardinale, expeditionem adversus Barbaros promulgante, quidam in publica concione veniam ab altero peteret, isque adhuc pertinaciter negaret, paulo post is eodem in loco in terram corruit, oculos horrendam in modum rotavit, oreque sanguinem tamdiu spumavit, donec a Cardinale accurrente, et eum populo in preces effuso, a terra levatus atque ad mentem revocatus, in collum inimici ruit, et veniam petit. *THOMAS. CANTIP. l. II, Apunt. c. xvi, p. 2.*

In monte Calvarie, cum, anno 1419, mulier quedam ab adolescente quopiam per nimiam multitudinem truso, levi impulsu ad terram prostrata fuisset, et illo veniam, flexo poplite ac junctis manibus petente pertinaciter negasset, toto populo inspectante, a Dæmone abrepta, et in puteum dejecta est. S. BERNARDINUS, serm. xii, *Quadr.*

Cum Sanctus Franciscus in loco Portiuncule quadam vice orationi vacaret, vidit totum Monasterium a copioso Dæmone exercitu circumdatum, nec tantum illum eorum intrare potuisse ob sanctitatem Fratrum, donec tandem a Fratre quopiam, qui vindictam et odium adversus alterum conceperat, ostium uni Diabolorum apertum est; qui tamen, ubi Frater ad S. Franciscum vocatus, culpamque fassus deprecatus est, mox iterum aufugere debuit. *ib. V. Ira. ex. ii.*

Theodosius Imperator cum in populari tumultu unus ex aulicis illius occisus fuisset, adeo vindictæ cupidine exarsit, ut civis

sub spectaculi specie convocatos, quorum septem millia fuerant, inaudita barbarie ad unum omnes occidi iusserit. Quam ob causam a S. Ambrosio communionem Fidelium privatus, nec nisi post integrum fere annum, publicamque penitentiam ac veniam petitionem restitutus est. BARONIUS, *ad annum*. 300.

Gothorum Rex, Totila, recepta Urbe Roma, quam ei Belisarius a Justiniano in Italiam missus ademerat, oratores ad Justinianum Constantinopolim misit petentem, ut ipsius Justiniani auspicio ac nomine obtinere ac regere urbem ipsam liceret; cum autem accepisset, conditionem repudiare, repente immanem Regem atrox ira ita impulit, ut Urbem, quam mortales alii spectando admiratione capiebantur, quæ orbis terrarum erat caput, et cuius jam possessor erat, incendio ruinisque totam deformaret, muris quoque nudatam quadraginta diebus feris, ut in ea stabularentur, donec denuo ipsa Belisarius potiretur. B. FULG. l. IX.

Et bello, quod cum Belisario Gothi gesserunt, cum unus militum Constantini Tribuni, Romano juveni insignem speciem ensem ademisset, atque Constantinum Belisarius reprehenderet, quod tam insolenter agi a sui ordinis milite pateretur, reprehensionemque minas pro imperio adderet, nisi gladius representaretur, adeo indigne eam rem Constantinus tulit, ut præ magnitudine iracundie Belisarii dignitatis ac vitæ suæ immemor, pugione quo accinetus erat, Belisarii pectus peteret, propter quod facinus statim comprehensus, ac laqueo enectus fuit. *Icēm.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius ita iram suam perdomuerat, ut, cum calidus natura, constitutione biliosus esset, propter summam tamen lenitatem, quam in omni sermone, vitæque consuetudine adhibebat, frigidus ipsis medicis, lentasque potius videretur. *RUBAD. l. V, Vit. c. II.*

Joannes Ferdinandus, cum, Amanguzii, ad populam verba faciens, salivam a Japone quodam in os coniectam excepisset, nihil tanta injuria commotus est, sed solo strophilo salivam abstersit, et dicere perrexit. *Hist. Soc. IV, l. II, n. 19.*

P. Franciscus Suarez, licet sæpe in publicis disputationibus occasionem haberet iram

conciendi, nulla tamen unquam verborum acrimonia aut aculeo usus, nullum commoti animi signum dedit. *Biblioth. Script. s. III.*

P. Ferdinandus Rebellus, etsi sæpe asperis verbis inter disputandum acris pungere vel numquam tamen vel licentiam respondit, vel ullum irati animi signum dedit, ita ut ab Academicis alter Job diceretur. *Annal. Eborac. 1608.*

P. Paschasius Broettus cum socio Lutetie prope messorum transiens, cum ab iisdem convitiis appeteretur; baculo suo innixus tandem perstitit, donec illi pudore et satietate abstracti convitari desinerent; tum enim se erigens, suavissimeque illos intuens: Deus benigne vobis faciat, filii, ac benedicat! Simulque crucis signo facto eisdem benedixit. *Hist. Soc. p. II, l. VI, n. 95.*

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Augustus Cæsar cum quondam in mari gravi tempestate jactatus, vitæ periculum vix evasisset, Neptunum, maris deum, ad certamen provocavit, ejusque imaginem e deorum numero auferri jussit. *MARCI. Tub. Soc. tr. IX, lect. II.*

Cambyses, Cyri Regis filius, cum a quodam privatim moneretur, non esse decorum Regi, in quem alii velut spectaculum oculos conjiciunt, nimio potu, ut assolebat, se ingurgitare, tantopere exarsit, ut monitoris filium adduci coram se jusserit, sumptoque arcu et sagitta cor ejus transfixerit dicens: Vide, an Regis ebrui certa sit manus et oculus? *Ib. lect. v.*

Judex quidam, cum miles quispiam accusatus fuisset de morte commilitoni illata, eo quod simul jussi fuissent iter conficere, et solus ipse reversus esset, mox eundem ad mortem damnavit. Cum vero eo ad supplicium ducto alter miles compareret, ideoque Centurio, cui reus traditus fuerat, cum velut innocentem ad Judicem cum commilitone reduceret, hic ira accensus, omnes tres ad mortem damnavit, primum, quia jam condemnatus erat; commilitonem reversum, quia socio mortis causa erat; Centurionem, quia militem occidere jussus, id executus non fuerat. *Ibid.*

De Calio Caligula Imperatore refertur, quod, cum pretiosissima ingenti pompa, sumptuumque dispendio præparasset spec-

tacula, eodem vero die, quo exhibenda erant, continue de celo decedentes pluvie, tonitrua, et fulgura, omnia ejus destruxissent consilia, indignatus acerbissime, ipsummet Jovem in duellum provocavit, dicendo cum Homero: Aut tolle me, aut ego te, Magnus quoque injuriis Jovem affectis, suis namque militibus, ut suas in eum sagittas evibrarent, præcepit, licet hæc in terram recedentes, magnam in populo stragem effecerint. *MANSI, disc. III, n. VIII.*

Cum Babylonem oppugnaturus Rex Cyrus festinaret ad bellum, ejus maxima momenta in occasionibus sunt, Gyden late fusum amnem vado transire tentavit; quod vix tutum est, etiam cum sensit astatem, et ad minimum deductus est. Ibi unus ex his equis, qui trahere regium currum alibi solebant, abreptus, vehementer commovit Regem; juravit itaque, amnem illum regis equis meatum auferentem, eo se redacturum, ut transiri, calcarique etiam a feminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatus, et tandem assedit operi, donec centum et octoginta cuniculis divisum alueum in CCC et IX rivos dispergeret, et siccum relinqueret in diversum fluentibus aquis. Perit itaque et tempus, magna in vanis rebus jactura, et militum ardor, quem inutilis labor fregit, et occasio agrediendi imparatus, dum ille bellum indictum hosti cum flumine gerit. *SENEC. l. III, de Ira, c. XXI.*

C. Cæsar iratus celo quod obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosius, quam spectabat, quodque commessatio sua fulminibus tereretur, ad pugnam vocavit Jovem: Quanta dementia fuit! Putavit, aut sibi noceri ne a Jove quidem posse, aut se nocere etiam Jovi posse. Non puto parum momenti hanc ejus vocem ad incitandum conjuratorum animos addidisse. Ultima enim patientiæ visum est, eum ferre, qui Jovem non ferret. *Idem l. I, c. XVI.*

Ira (etsi temulentia mixta) Alexandrum Macedonem totius Orientis victorem, in Clytium nutricis suæ filium, a quo fuerat ad Granicum amnem servatus, perniciose armavit, et quem provincie præfecerat, convivio adhiberat, subita ira accensus, ferro trajecit. *SABEL, l. II.*

Pyrrhus Rex, Sicilia relicta, primo in Italiam appulsus in Mamertinorum phalangem incidit, qui non ausi Regem a fronte laessere, extremum agmen adorti, duos

elephantos, et eos qui circa bellus dimicabant, prius quam Rex eo occurreret, oppresere, et jam corperat turbare extremus ordo, cum Pyrrhus suorum periculo commotus, in medium sese certamen injecit; hic accepto vulnere, ægre hostem a se propulsabat, anceps itaque erat pugna, cum Mamertinorum unus procerata statura armis fulgens, atque in medio stans Regem, si viveret, ad pugnam provocat; ea demum contumelia Rex inflammatus, ei occurrit, ac tam valido ictu hostem percussit, ut ferrum capiti adactum ita ad ima descenderit, ut magno spectantium stupore dimidiatum corpus in duas partes abierit. *Ibidem.*

FUGA. — Diogeni de ira disserenti adolescens protervus inquit, tulit hoc ille leniter ac sapienter: Non quidem, inquit, irascor; sed dubito tamen, an irasci oporteat. *SENEC. l. III, de Ira, c. XXXVIII.*

Catonem causam agentem, cum in frontem mediam, quantum poterat, attracta pingui saliva, inspisset Lentulus ille, Patrum nostrorum memoria factiosus et impotens, abstersit faciem, et: Affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere. *Ibidem.*

Architas, Tarentinus Philosophus, ad villicum suum, qui ei indignationis occasionem præbuerat, dixit: O te felicem, quoniam egregie te punirem, nisi iratus essem! *SÆX. l. III, de Ira, c. XII.*

Alexander Magnus, cum a matre Olympiade, vindictæ ardore incensa, ad eundem virum innoxium impelleretur, respondit: Petaliud, mater; vita enim hominis nulla alia re compensari potest. *MARCI. l. c. lect. v.*

Cotys, Rex Thracum, cum ad iram pronior se adverteret, accepta quondam dono vasa fictilia valde pretiosa confringi jussit, ne, si a ministris frangerentur, ipse ad iram moveretur. *RAVISIUS TEXTOR, in Officin. l. V, c. XXV.*

Qua ratione Ausonius Poeta iram suppressit, ipse sequenti distico confessus est:

Irasci promptus properavi condere metum,
Atque mihi poenas pro levitate doem.

DAMNUM. — Isaacus Calo, Joannis Imp. Constantinopolitani filius, imperio excedit, prælato ei fratre Manuele natu minore tantum ideo, quod, ut pater ipse moriens monuerat, ad iracundiam pronior esset, et qua vis de causis effervescente bile moderari animo non posse. Id quod alioqui sic expres-

sum memini, quod Imperio exciderit, prælato ei fratre minore, eo quod ad iracundiam esset proclivior. Sic enim pater jam moriturus ad proceres Imperii inter cætera ait: Filii mei, quamvis eodem patre nati, tamen diversis præditi sunt ingenis, qui, etsi ambo et viribus corporum, et dignitate vultuum, et animarum gravitate præcellunt, tamen natu minor Manuel ad Imperii administrationem mihi aptior videtur. Nam Isaacus sæpius ira percitus mihi adstitit, et quavis de causa bile effervescente, moderari animo non potest, quæ res inimicissima consilio sapientes perdit. NICETAS CHRYSIATES, in *Annal.* l. XXI, n. 4.

Julianus Apostata, quia nimia in Christianos ira odioque flagrans, omnes tollere decreverat, jamque ideo bellum illis inferret, subito sagitta de cælo missa vulneratus, inter illas voces: Vicisti, Galilæe, vicisti! Saturare, Nazarene, saturare! misere expiravit. MARCHI. l. c. lect. v.

Herodes Rex, cum delusum se a Magis videret, adeo exarsit, ut omnes infantes a bimatu, et infra, in omnibus urbibus Bethleemiticis horrenda nece perimi jussisset. MATTH. II.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut humorum immoderatio stomachum vexans, ut plurimum omnia ejicit; ita immodicus fervor animam vexans ea tegere, quæ tacere bonum est, non permittit. S. CHRYS. hom. XIII, ad Pop.

Sicut secundum ligna silvæ exardescit ignis; sic homo secundum virtutem et substantiam suam exaltabit iram suam. ECCLES. XXVIII, 12.

Sicut debilis stomachi est, duriorem cibum non posse concoquere; ita pusillanimi est, verbum durissimum non posse sustinere. ARIST. l. IV Eth.

Sicut in maris tempestate tumultus multus, clamor magnus reperitur, nec ibi quis philosophandi tempus habet; ita nec in ira. S. CHRYS. hom. XXXI, ad Pop.

Sicut nec solis radius cernitur, cum commota nubes cæli faciem obducunt, nec turbatus fons insipientis imaginem reddit, quam tranquillus ostendit; sic animus ira commotus nihil videt. STAPL. in *Dom.* 3 post Pent.

Sicut fur ad furandum noctem obscuram diligit, lupus turbulentum tempus, quo gregem invadat, expectat, piscator fluvium

quærit turbidum ad rete tenendum; ita Dæmon rapacissimus præda, vorax lupus, et piscator astutus, iracundia tempus observat, ipseque interdum ad iracundiam movet, ut ejus occasione in mille mala hominem præcipiet. STAPL. in *Dom. Pass.* c. VII.

Sicut arboris trunco commoto et agitato frondes et rami mira statim celeritate agitantur; sic corde per iracundiam turbato, illico omnia corporis membra celerrimam agitationem patiuntur, lingua garrit, oculi inflammantur, crura tremunt, manus et brachia ad ultionem armantur, saxa volant, furor arma ministrat. Ibid.

Sicut si sera interiores machinas laxatas turbatasque habet, ac aperiri; nec claudi potest; ita si præ iracundia interius animus conturbatur, neque ad ea, quæ rationi consentanea sunt percipienda, neque ad verum ipsum discernendum aptus est. Ibid.

Sicut superior pars mundi omni tumultu et tempestate caret, inferior autem ventis agitatur, et fulgure feritur; sic sublimis animus semper sibi similis est, imbellis autem et ignavus iracundia aliarumque passionum motibus subjectus est. Ibid.

Sicut naves egregie sunt, non quæ sereno celonavigant, sed quæ tempestatum resistunt, et servantur; sic homines iræ resistentes magni et fortes censendi sunt. LANGIUS, in *Polyant.* f. 601.

Sicut olla ebulliens undique effundit aquam fervidam, nec facile tangi se patitur; ita cor iracundia æstuans neminem admittit monitorem et correctorem. Hinc Sapiens ait: Os fatuorum ebullit stultitiam. PROV. XV, 2.

Sicut in humanis corporibus febris quidem una est, sed multas habet ardoris causas; sic iræ motus et incendium, uti reliquorum vitiorum morbi, multas et varias origines habent et fontes. Quot namque iræ vitiosæ sunt causæ, totidem disordinationes et mala sunt, quæ eidem sociantur. S. CLY. grad. VIII.

Sicut quando ignis non potest evaporare, et ipsi non subministratur materia, quam absumat, crudescit in seipsum; sic iracundia creparet, nisi evaporaret, et respiraret per verba contumelie. S. ANTON. PAD. s. in ser. v, post Dom. 3 Quadrages.

Sicut aper ex furore impingit, et currit contra gladium; sic iracundus currit ad peccatum, scilicet contentionem, injuriam, et homicidium. S. BONAV. in *Diet.* c. I.

Sicut canis insanus saxo percussus, dum percutientem sequi non prævalet, ad ipsum furorē convertitur lapidem, quem pedibus, dentibusque dissipare perquirat; non aliter Herodes sua præcipitatus iracundia, solitoque suæ mentis furore, in infantium cæde versatus, et concitatus est. ORIG. in *divers.* hom. III.

Sicut sævissima etiam bellua, quamdiu quidem continetur infra cæcis carceribus, etiamsi efferretur et vociferetur, neminem poterit lædere; quando vero ira dominatus invaluerit, perfractisque, quæ interjecta erant, repagulis, poterit exilire, omni tumultu et conturbatione replet civitatem, et omnes abigit; ita etiam in bile, quamdiu quidem continetur suis finibus, nobis non magnum facit malum; postquam autem rupta est, quæ eam continebat, membrana, nihil vetat, quo minus de cætero in universam diffundatur naturam. S. CHRYS. hom. XV ad Eph.

Sicut si lapis in præcepis eat, contra omnem, quod invenit, impetu fertur; ita etiam asper, audax, si ferocitatis et furoris vim ferat, a nullo vel verbo, vel opere abstinabit, Deum etiam, sicut hominem lingue suæ immoderantia et iræ impotentia invadet. S. CYRILL. ALEX. l. VI contr. Jul.

Sicut furentium certa indicia sunt, audax et minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verus, crebra et vehementius acta suspiria; ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor, exstante ab imis præcordiis sanguine, labia quantiantur, dentes comprimuntur, horrent æ subriguntur capilli, spiritus coæctus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque et parum explanatis vocibus sermo præruptus, et complexus sæpius manus, et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens, fœda visu et horrenda facies depravantium se, atque intumescientium. Nescias, utrum magis detestabile vitium sit, an deformè. SENECA. l. I, de Ira, c. 1.

Sicut canes catulos suos cæcos parturiant; ita quoque cogitationes, desideria, affectus, consilia iracundorum cæca sunt, omnisque luminis, vel rationis, vel discursus expertia. Unde S. Nilus ait: Iracundia canum in morem cæcæ cogitationes parit. S. NILUS, orat. de Ira.

Sicut Hippocrates ait, eum morbum esse

gravissimum, qui faciem ægrolantis quam maxime mutet in diversum; ita conspiciens alios ob iram maxime sibi excedere, et vultum immutantes, colorem, incessum et vocem in diversum vertere. PLUTARCH. de *cohib. Ira.*

Sicut adversus pestilentiam nihil prodest firmatas corporis, et diligens valetudinis cura, promissæ enim imbecilla, robustaque invadit; ita ab ira tam inquietis moribus periculum est, quam compositis et remissis. SENECA. l. III, de Ira c. v.

Sicut ex collisione duorum corporum elicitur ignis, quia sicut ex collisione, ita ex amarum verbis, aliquorum ira concitatur. (PROV. 15.) *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitatur furor.* S. ALBERT. M. l. XXXI *Cath. ver.* c. XVII.

DAMNUM. — Sicut si infles in scintillam ignis, excitas incendium, contra vero si insuvas, extinguas, et utrumque tibi in manu tua est; sic si inflatos et vecordes inferas sermones, excitas ignem iracundiæ hominis, sin mites ac moderatos admoves, priusquam excandescat, iram omnem extinguas. S. CHRYS. hom. de non adeund. *Spectac.*

Sicut apes eodem tempore, quo iracundia aculeum iis, quos invadunt, affigunt, simul quoque semetipsas interficiunt; sic, cum iracundi multoties taliter irascuntur, quod absque judicio rationis ad lædendum alios animantur, suscipiunt, quod quantum ad Deum, et quantum ad mundum, corpus et animam perdere dignoscuntur. BERNARDUS, apud *Mansi*, disc. IX, n. 6.

Sicut vir honestus et gravis obscurum diversiorum aversatur; sic Deus iracundi petus; et ut fumus oculos turbat, sic ira animam. S. NILUS, de octo Vit. cogit.

Sicut equo operiuntur oculi, ut circumeat in molendino, et sicut Philisthim Samsonis oculos eruerunt, et clausum in carcere molere fecerunt; ita per iram gratia lumen amittitur, quia mentis oculos excæcat. BELLOV. l. III *Spect.* l. p. II, dist. 1, 1.

Sicut venenum aspidum, ita se habet iracundia, quoniam et formam aliquid aspectum immutat, et mentem conturbat, et nervos dissolvit, et ad operandum imbecillitatem affert. S. ERAS. de *Tam. Dei.*

Sicut vinum, cum ultra satietatem infunditur, omnes sensuum meatus, ac cerebri membranas implet, mentemque in dementiam convertit; ad eundem modum iracundia extra metas suas prosiliens, mentem te-